

Consuetudo  
veteris Ec-  
clesiæ.

Et dicit vniversus populus, Amen.] Notanda est hæc consuetudo veteris Ecclesiæ, qua populus ad orationem & laudem Dei, Amen cecinit: vnde indubitato colligitur, sic fuisse in illius præsentia cuncta siue orando, siue psallendo pronunciata, vt essent vulgo intelligibilia. Et hæc consuetudo etiam in Ecclesia Christianorum ex institutione Apostolica obtinuit, vt idiotæ succinerent, Amen, eamq; ob causam cuncta pronunciareretur lingua vulgo intelligibili. qua de re legere est 1. Cor. 14. De hac consuetudine mentionem hoc loco faciunt & Græca Scholia in quibus sic legimus: Vnde & consuetudo hæc in Ecclesia mansit, vt sacerdotis doxologiæ populus per Amen astipuletur. Hæc ibi. Verum Ecclesia illa, quæ se Apostolicam vocat, cum ne micam quidem Apostolici spiritus habeat, consuetudinem hanc & traditionem Apostolicam ex Ecclesia sustulit, & vt cuncta magis Romam quam Christianismum saperent, pro lingua cuius Ecclesiæ intelligibili, Romanam passim substituit, & vniuersam diuinæ laudis exercitium in vinctos suos transtulit.

## PSALMVS CVII.

## ARGVMENTVM PSALMI.

1. Tim. 4.

**P**recedentibus Psalmis, 105. & 106. quibus opera diuina bonitatis erga Israellem specialiter declarata canuntur, presens hic 107. de generali illa prouidentia Dei subicitur, qua non solum Israelitarum, sed & omnium mortalium seruator omnium rationem habet, & delinquentes primum varijs modis castigat: deinde ad se clamantes in tribulationibus clementer redimit: denique res humanas sapientissima sua dispensatione moderatur, disponit & mutat de quibus Propheta eam ob causam canit, vt admoneat esse Dominum non Israelitarum sed & omnium mortalium Deum, cui hæc omnia tribuenda, & cuius bonitas ac prouidentia non ab Israelitis tantum, sed & vniuersis mortalibus, qui illam experiuntur, obseruanda, agnoscenda, & deprecanda existat.

## Dispositio Psalmi.

Est autem hic Psalmus ad eum modum compositus, vt quinque partibus diuidi queat.

1. Prima habet priores nouem versus: quibus admonentur illi, quos Dominus erroribus solitudinum liberavit, & ad mansiones hominum reduxit, vt illius bonitatem agnoscant, & mirabilia eius reliquis filijs hominum deprecant.

2. Secunda, à versu 10. vsque ad 17. ad eos pertinet, quos clementia Dei carceribus & vinculis exemit. Hos quoque appellat Propheta, adhortans, vt bonitatem Dei celebrent, & filijs hominum manifestent.

3. Tertia, à versu 17. vsque ad 23. eos concernit, qui diuino auxilio grauissimis morbis liberati, & sanitati sunt restituti. Admonentur & illi, vt Deo sacrificium laudis offerant, & opera eius deprecando extollant.

4. Quarta, à versu 23. ad 33. vsque, admonet eos, qui periculis maris erepti sunt, vt eam bonitatem Dei, qua seruati sunt, in Ecclesia populari, & confessu seniorum laudibus celebrent.

5. Postrema, à versu 33. ad finem vsque Psalmi de eo canit, quod ratio victus & incolatus humani, deinde & fastigiaregnorum, secundum consilia & prouidentiam Dei magnis & stupendis mutationibus dispensantur.

## PRIMA PARS PSALMI.

VERS. I.



CONFITEMINI Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum benignitas eius.

2. Dicant qui redimuntur à Domino, quos redimit de manu angustia,

3. Et de regionibus colligit eos: ab Oriente, ab Occidente, ab Aquilone & Meridie.

4. Errant in solitudine in deserto: viam ciuitatis habitata non inueniunt,

5. Esuriunt, etiam sitiunt: anima eorum in ipsis deficit.

6. Et clamant ad Dominum in angustia constituti: de tribulationibus eorum eripit eos.

7. Et ducit eos in viam rectam, qua perueniant ad ciuitatem habitatam.

8. Confiteantur Domino benignitatem eius, & mirabilia eius filijs hominum.

9. Quod satiat animam anhelam, & animam famelicam implet bonis.

LECTIO.

Vers. 2.

Quos redimit de manu angustia.] Ebr. est צר צר. Sumitur autem vox צר, aliquando pro inimico ac tribulatore, aliquando pro ipsa tribulatione & angustia. Hinc factum est, vt particula hæc variè reddatur. A. liij reddunt, De manu inimici. vt Græc. & vulg. Lat. & Pagnin. Hieron. De manu hostis. Felix. De manu tribulantis. Felinus verò: De malis coartantibus. Et Kimhi Ebræus exponit צר צר, idem esse atque צרה צרה.

Vers. 3.

Confiteantur Domino benignitatem eius.] Vulgata Latina reddidit: Confiteantur Domino misericordia eius. Verum Ebræa lectionem hanc non admittunt. Sic enim habent illa, ירדו ליהרה חסרו, vbi quos Vulgata habet in plurali, Misericordie eius, legitur in singulari חסרו: id est, benignitatem eius. vt ne queat nominandi casu legi, & plurali verbo ירדו: id est, confiteantur, coniungi. Græcus sic reddidit, vt possit v. trunque legi, vel misericordie eius, vel misericordias eius. Hieron. legit: Misericordias eius.

Quod